



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Totius Tractatus De S. Matrimonij
Sacramento R. P. Thomæ Sanches E Soc. Iesv**

Sánchez, Tomás

Coloniæ Agrippinæ, 1624

I. Nouitiatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41559

possit absque alio matrimonium inire, ac profiteri. Non tamen ad eum effectum', ne læsus circa hæc, quando reuocari possunt, reclamare possit beneficium restitutionis petens, l. 7. disp. 37. nu. 29.

N

Nouitiatus.

1 **N**ouitiatus est repetendus à transeunti ab vna religione ad aliam. lib. 7. disp. 37. nu. 47.

2 Siue nouitiatus sit irritus, siue validus, nulla ipsius iteratione opus est ad professionem irritam ratam habendam: licet nullitas professionis, & nouitiatus publica sit, ob professi inhabilitatem, lib. 7. disp. 37. à num. 45. vsq; ad 48.

3 Nouitiatus inchoatus post pubertatem, & impletus ante decimum sextum annum est validus, l. 7. disp. 37. nu. 49.

4 Quando professio fuit nulla defectu nõ præmissæ informationis à Sixto Quinto, quando maior sexdecim annis profitetur, & in nouitium ingreditur, non irritatur nouitiatus, etiam quando illegitimi non ex sacrilego, aut incestuoso concubitu nati, recepti sunt, non præmissâ dictâ informatione. Est tamen irritus, si ex incestuoso, vel sacrilego nati sunt, sed non repetendus, lib. 7. disputat. 37. numer. 54 & 55.

5 Annus nouitiatus non exigitur in religio-

gionibus militaribus ad professionis valorem,
l. 7. disp. 44. nu. 8.

Nuptia.

1. Secundæ nuptiæ, tam ex parte viri cum pluribus vxoribus, quam ex parte vxoris cum pluribus viris, sunt iure naturali irritæ, primis non dissolutis. Vnde nulla consuetudine, nec dispensatione, nisi Dei, possunt esse licitæ, vt fuit dispensatum cum Patribus antiquæ legis. Quæ dispensatio non fuit extensa ad populum Gentilium, & hodie in lege Euangelica cassata est à Christo seruatore nostro, quando Matth. 19. reduxit matrimonium ad primum statum, in quo vnica vxor licebat, *l. 7. tota disp. 80.*

2. Secundæ nuptiæ, & vltiores, prioribus dissolutis, licitæ sunt, & verum sacramentum, *l. 7. tota disp. 81.*

3. Pœnæ impositæ secundis nuptijs initis intra annum luctus, iuri ciuili sunt sex. 1. Vt efficiatur infamis, tam ipsa vidua, quam vir eâ ducens. 2. Vt posteriori viro non possit dare in dotem, nec in vltima voluntate relinquere vltra tertiam bonorum suorum partem. 3. Sit expers cuiuscumque hæreditatis, legati, fidei commissi, donationis causa mortis. 4. Vt priuetur omnibus relictis à viro priori in suprema eius voluntate, ac priuetur non tantum quoad proprietatem, sed etiam quoad vsum fructum, & priuetur sponsalitia largitate. 5. Vt non possit succedere ab intestato suis consanguineis vltra tertium gradum. Vltima est, vt

tenca-